23. n° 21

(✠)

VOTVM, ET MOTIVVM A PROCESSV LICENTIATI IOSEPHI PICAREO.

Super Apprehensione.

IN ARTICVLO IVRISFIRMARVM.

IESV CHRISTI NOMINE INVOCATO.

NOS Don Martinus Esmir, Seran, & Casanate, Civis Zalmetina, & Iudex Ordinarius præsentis Civitatis Cæsaraugustæ. Att. Cont. &c. de Consilio, &c. Pronuntiamus, & declaramus, Exceptiones allegatas, & contentas in Schedula oblata in præsenti Processu, pro parte Iosephi Michaelis Perez de las Aguas Proc. sub die decimatertia Mensis Iulij Anni millesimi sexcẽtesimi octuagesimi noni, locum non habere: Et cum his de eodem Consilio recipimus Propositionem iurisfirmæ in præsenti Processu oblatam, per Doctorem Tiburtium Lopez de Arganza, princ. Faustini Dominici de las Foyas Proc. præstita prius Cautione Forali, cæteris Propositionibus iurisfirmarum reiectis, & repulsis, neutram Partium in expensis condemnando, cætera supplicata locum non habere: EX eo, & aliàs, quia plenissimè habet D. Tiburtius Lopez de Arganza, fundatam suam intentionem in præsenti Processu, siquidem concludentêr probatus est Obitus Licentiati Francisci Morel, vltimi, & immediati possessoris Portionis apprehensę in

 men-

mense Iulij Sedi Apostolicæ indubitantèr reservato, ex regula 8. hodie 9. Cancellariç; ac proinde Gratiam eius Apostolicam abundê iustificatam esse apparet; sed ex adverso inter moras litis, opponebatur, citra alia, quæ parvi habentur. Primo, non esse in præsenti Processu exhibitam Bullam Plumbeam, seu originalem Gratiæ Apostolicæ, sed tãtum illius Transumptum, ideoque nullam eius esse rationem habendam, For. *vnic. de Firm. iur. sup. posses.* Secundo, quod lite mota apud Iudicem Ecclesiasticum, super libertate huius Portionis, & peracta cum Fiscali Eclesiastico contradictore legitimo, resolutum fuit, huiusmodi Portionem esse iuris Patronatus, vnde Exceptio rei iudicatæ, oriri videtur, non solum adversus Ordinarium, verumetiam contra Romanum Pontificem, maximè cum in rem iudicatam transisse videatur; nam etsi Fiscalis Eclesiasticus ab ea appellaverit, desserta appellatio intelligitur, dum apud ipsum Iudicem à quo, post interpositam appellationem revocari, seu saltêm anullari dictam Sententiam ipsemet Fiscalis supplicavit: Cæterum vtrique argumento ad amussim iam discusso, suo ordine facilê respondebimus; & quidem primum non obest, nam inconcussa omnium Tribunalium huius Regni praxis admisit Bullarum Sedis Apostolicæ Transumpta, sive Sumpta solemnia, pro Bullis Plumbeis, & originalibus, de qua plenê constat ex Attestationibus in hoc Processu productis, idque Beneficio Regnicolarum receptum est, ne magnis Bullarum originalium sumptibus gravarentur; idem aprimè comprobat declaratio iurisfirmæ Lic. Iosephi Francisci Castan obtenta à D. Arganza in Curia Domini Iustitiæ Aragonum, qua, non obstante dicto *For. vnic. de Firm. iur. super posses.* procedendum posse ad vlteriora in præsenti Processu magno prævio examine decissum fuit, die 28. Aprilis, A. D. 1690. Nec valet si dixeris, quod, etsi praxis hæc adoleverit, Bullam Plumbeam, seu originalem adhuc exhiberi opportebat, quia ex adverso supplicatum fuerat, vt exhiberetur ad finem redarguen-

guendi Sumptum de falso, ex *For. vnic. tit. quod instrumentam, vel script. in Iudi. semel exhibita*; Quia hæc locum obtinent in Instrumentis semel in iudicio iã exhibitis, quorũ Copiæ ibidem relinqui solent, vt manifesto colligitur ex ipsametRubrica dicti Fori vnici, & constat etiam ex eius contextu; non autem in Instrumentis, quæ pro originalibus habentur; quod adeò verum est, vt qui Transumptum Curiæ Iustitiæ Aragonũ in iudicio exhibet, non vtiq; teneatur ad finem redarguendi prædictum Transũmptum dé falso, exhibere Instrumentum originale, quamtumbis transumptatio hæc omnino voluntaria sit, sed solùm cogi potest iurare instrumenti originalis exhibendi, vt potê deperditi, facultatem non habere, quod nedum à Parte adversa in præsentia petitum est, alioquin huiusmodi Transũmpta, sivè Curiæ Iustitiæ Aragonum sint, sivè Romanæ Curiæ nomen tantum, non autem qualitatem, & conditionem originaliũ Instrumentorum assumerent: Rursus specialis etiam subest ratio, pro Transumptis Bullarum Apostolicarum, nam & si generaliter in hoc Regno constitutum sit, quod Instrumenta, quæ redarguntur de falso adverari debeant intra annum, ab illo, qui ea in iudicio exhibuit, tamen in Bullis Apostolicis, alijsquê iudicialibus Actis in Curia Romana testatis, id locum non habet; quinimò Pars adversa cogitur huiusmodi Bullarum, species falsitatis probare, ex *For. por quantò de fide instrum.* itaque similiter dicendum est, neutiquam teneri, quem exhibere Bullam Plumbeam, etiam si ad finem redarguendi Sumptum de falso petatur, sed potiùs Partem adversam cogendam esse species falsitatis proponere, vt affectatæ dilationes penitus removeantur. Secundum etiã, quod circa Exceptionem rei iudicatæ objicitur, sólvitur, multiplici ex capite: Primo, quia iurisdictio Eclesiastica, & sæcularis prorsus est separata, & distincta, ac proinde sententia in vno iuditio lata, non parit in altero Exceptionem rei iudicatæ: Secundo, quia in iudicio Eclesiastico nullus Contradictor Apostolicus, adfuit, ac perconsequens

 Sen-

Sententia illic lata, nullum quoque præiuditium inferre poterat Romano Pontifici; maximê dum is antè præfatam Sententiam huiusmodi Portionem providisset, ex quo nec scisse litem, nec tolerasse coligitur, vti opus erat, vt ipsi Sententia præiudicare posset: Tertio, nam etsi Fiscalis Ecclesiasticus litem communem egisse videatur, quipè & Ordinarij, & Sedis Apostolicæ; attamē parere nequit Exceptionem rei iudicatæ adversus Sedem Apostolicam; nam in vsu iuris sententia illi non præiudicat, qui non litigavit, si super re communi in iuditium deducta, is equè primariū interesse habet, quam qui causam amisit: Quarto, quia Sententia obtenta contra Fiscum solum producit rem iudicatam contra eos, quorum ius derivatur ab illo Fisci, ac proinde Sententia obtenta contra Fiscum Eclesiasticum Diœcesis Archiepiscopalis Cæsaraugustanæ solum producere potest rem iudicatam adversus Illustrissimum Dominū Archiepiscopum, & contra eos, quorum ius, velut accessoriū, & secundarium ab eodem derivatur: Quinto, nam vt Exceptio rei iudicatæ, adsit, necessaria, est identitas rei, causæ, & Personarum, & in præsenti licèt de eadem re, nempè Portione agatur, & quod magis est, licèt liberè concedamus, esse easdem Personas, sive verè, vel interpretativê, tamen de eadem causa non agitur; nam penès Iudicem Eclesiasticum solum actum est, an huiusmodi Portio esset liberæ collationis, aut iuris Patronatus; hic autem principaliter queritur; an eius provisio sit Romano Pontifici reservata, vtpotê cōprehensa sub regulis Cancellariæ, sub quibus cadere potest, sivê liberæ sit collationis, sivè iuris Patronatus, cum illud Eclesiasticum esse constet, & consequenter identitas causæ non apparet: Sexto, quia vt Sententia ei, qui non litigavit nocere valeat, ratione conexionis, necessum est inter alia requisita, quod victus se plenè defenderit, nam si negligenter se habuit, tertio non nocet, etiam si causa status sit, & in hac causa negligentia Fiscalis Eclesiastici liquidò aparet, siquidem appellationem interpositam desseruit, & in

in rem iudicatam Sententiam Iudicis à quo transijsse, ex adverso contenditur, neque enim sufficit litem instituere, si non in ea perseveret, qua propter huiusmodi Sententia minimè præiudicare potest Romano Pontifici, neque D. Arganza ab eodem provisso, cum neuter eorum in iuditio Eclesiastico litigasset: His igitur obiectionibus reiectis, disquirendum iam est de validiore iure, seu Titulo, quo nititur Propositio iurisfirmæ D. Tiburtij Arganza, altero quo Licentiatus Iosephus Franciscus Castan, suam iurisfirmæ Propositionem obtulit in Processu, quod sanè duplici fundamẽto patefiet: Primo, quia vt Provisso Apostolico retardetur immisio, & Gratiæ eius Apostolicę executio impediatur, necesse habet, is qui à prætenso Patrono præsentatus ad iuditium accedit, vt clarè, & apertè doceat de iure Patronatus; nam etsi cum queritur de pertinentia Patronatus huic, vel illi Personæ, sufficiat semiplena probatio, quia incidentèr de eo controvertitur; tamen cum de eius existentia principaliter agitur adversus Ordinarium, vel Provissum Apostolicum, tunc ius Patronatus, sicut & Dominium, cum quo in probatione fraternizat, plenam, & concludentem requirit probationem; ac licèt de huius Patronatus existentia constaret, ex Scriptura Fundationis factæ ab Hispano la Barca Archidiacono quondam Cæsaraugustano, cuiusdã Portionis in prædicta Eclesia Cęsaraugustana, ex Cartuario eiusdem Eclesię antiquiori exscripta (quę inter pervetustos, ac catenatos Codices in Archivo huius Sanctę Eclesię, multis ab hinc sęculis, detinetur) vnà cum Pręsentatione ab Archidiacono Ioanne de Espês facta Anno 1488. vt ex instrumento Collationis in Processu exhibito, colligitur; attamen haud abundê constat Portionem apprehensam fundatam illam esse à prædicto Archidiacono Hispano, & superioris memorati Patronatus, quod Licentiatus Castan concludenter etiam probare debuerat, vti fundamentũ intentionis suæ; maximê dum ex parte Provisi Apostolici in articulo 5. Replicæ expressim negetur, supradictam

Portionem apprehensam, & à Sede Apostolicâ provissam, eamdem esse, ac institutam, & fundatam à prædicto Hispano la Barca; idque minimè factum esse videtur, quia identitatē huius Portionis probari suadetur, ex triplici Partita desumpta ex Libris Sanctæ Eclesiæ Metropolitanæ compulsatis, & in eius Archivo reconditis: Prima, est scripta ex Libro Copiæ originalis Suprioratus prædictæ Eclesiæ, vbi inter alios Portionarios institutæ Portionis ab Hispano la Barca, posteriores Possessores Portionis apprehensæ, dempto Morel, gradatim referuntur: Secunda, ex Libro communiter Nigro nuncupato, quæ ad rem non pertinet, nam licèt plures antiqui Portionarij Archidiaconi Hispani tradantur, neminem eorum Portionem apprehensam possedisse cōstat, cum & horum Successores penitùs ignorentur: Tertia, ex Libro originali Suprioratus eiusdem Eclesiæ, vbi post alios Portionarios Hispani, duo tantum ex Possessoribus Portionis apprehensæ scripti reperiuntur; quæ omnia circa prætensam identitatem memoratæ Portionis in dubiam fidem facere nequeunt: Primò, quia verba illa, quibus mentio fit, Possessorum Portionis Archidiaconi Hispani in superioribus Partitis, sunt Enūtiativa, & non principalia Orationis, sed propter aliud emissa, per modum Demonstrationis, ideoque non probant: Secundo, nam licèt hę Enuntiativæ geminatæ videantur, saltem quoad duos Portionis apprehensę Possessores, in prima, & tertia superiori Partita; tamen pro vnica Enuntiativa, quæ minimè probat, habendæ sunt, nam repetitę solum extant in Libro Suprioratus originali, eiusque Copia, qui pro vnico, ac eodem instrumento in vsu iuris accipiuntur: Tertio, quia in tribus prædictis Partitis variê, ac diversimodê Portionis Archidiaconi Hispani Possessores enumerantur, quod dificilēm, & obscuram reddit identitatis Portionis probationē: Quarto, quia ex Partita quoque deducta à Regestro Visitationis Illustrissimi Archiepiscopi Cæsaraugustani D. Ferdinandi ab Aragonia in Processu litis pendentiæ insita constat,

ſtat, quendam vocatum *Villalon* (quem in prædicto Libro Supprioratus,eiuſquè Copia refertur inter PoſſeſſoresPortionis Archidiaconi Hiſpani) Viſitationis tempore poſsidere Portionem inſtitutam, ac fundatam in eadem Ecleſia Metropolitana ab Arnaldo de Peralta Epiſcopo Cæſarauguſtano, multumquê conferre aſſertionem Ordinarij factam in Viſitatione palam eſt: Quinto, nam ex altera Partita Regeſtri Viſitationis eiuſdem Archiepiſcopi D. Ferdinandi exhibita à Licentiato Caſtan, in Proceſſu præſentationis Licentiati Ioſephi Franciſci Caſtan Curiæ Ecleſiaſticæ, de quo fidem ipſe fecit in præſenti Proceſſu, conſtat tempore Viſitationis poſsidere Portionem Archidiaconi la Barca; Gaſparem Tarazona, & nulla eius mentio fit in prædicto Supprioratus Libro, inter tot Portionis Hiſpani Poſſeſſores ibidem relatos; neque dicti Gaſparis Tarazona Succeſſores in hoc Articulo Iurisfirmarum allegantur, vt gradatim id fieri opus erat ad probandam concludentèr Portionis identitatém: Sexto, quia Superiores Enuntiativæ prædicti Libri Supprioratus non ſunt antiquæ, nam primus qui ex memoratis in ſupradictis Partitis, vtriuſque Partis ore, verus, ac indubitatus Portionarius agnoſcitur Portionis apprehenſæ, eſt Doctor Aurin, & is Anno 1602. Portionarius eſſe Coadiutor incepit, vt ex poſſeſsionis inſtrumento in hoc Proceſſu exhibito conſtat, & Anno 1623. enuntiatur in Copia Libri Supprioratus, tunc temporis poſsidere Portionem Hiſpani; & in prædictaCopiaSupprioratus enũtiatur quoque Anno 1672. poſsidere Hiſpani Portionem Licentiatum Eſcuer, ex quo paſsim in dies in eadem ſcribi deducitur; ac proinde hæ Enuntiativæ, vt potê modernæ minimè ſufragantur ad probandam Portionis apprehenſæ identitatem, maximê deſtituto Archidiacono Cæſarauguſtano in hac Portione quaſi poſſeſsione præſentandi. Nec valet ſi dixeris verba hæc Enuntiativa adminiculata eſſe, cum duplici Apocha Licentiati Morel, vltimi Poſſeſſoris xehibita in dicto Proceſſu Curię Ecleſiaſticæ; vbi illum fa-

te-

teri dicitur Portionem habere fundatam ab Hiſpano la Barca: Primo, quia huiuſmodi Apochas non conſtat manu dicti Licentiati Morel exaratas eſſe: Secundo, quia ſunt Scripturę privatę, quę in iuditio fidem non faciunt: Tertio, quia non levi fundamento dubitari poteſt, an errore illud ſcriptum ſit; etiam ſi ita Apochas conficere ſolere probaretur ex Atteſtationibus ſuper Interrogatorijs Litis pendentiæ productis, ex eo quod ex Inſtrumentis poſſeſsionum huius Portionis apprehenſæ, quas eius Portionarij ab Anno 1602. vſque ad vltimum Poſſeſſorem ceperunt, conſtat, alios cepiſſe poſſeſsionem in Ecleſia Metropolitana in Capella Sancti Iacobi, alios in eadem Ecleſia, & in Capella Divarum Iuſtæ & Rufinæ, olim Sancti Nicolai, ex quo error in altero ex his neceſſariò convincitur; ac perconſequens Portionis identitas magnoperê offuſcatur, nam ex qualitate Loci, vbi fundata Beneficia exiſtunt, eorum identitas probari ſolet; minuſquè iuvant alia adminicula, quæ deducere intendit Licentiatus Caſtan ad probandam ipſam identitatem, ex Inſtrumēto poſſeſsionis Portionarij Doct. Gregorij de Molina, & ex duabus illius Apochis in hoc Proceſſu exhibitis; in quibus omnibus faſſus eſt habere Portionem inſtitutam ab Arnaldo de Peralta Epiſcopo Cæſarauguſtano; tum quia ſuperiores Rationes, quæ proxima adminicula deſtruunt æedem etiam poſteriora hæc evertunt; tū etiam, quia identitas Portionis non ſatis probatur hoc Argumento à remotis ducto, nam etſi Portio apprehenſa nō ſit illa fundata ab Arnaldo Epiſcopo (quod hic nō diſputamus) haud exinde deducitur, eſſe eam fundatam, & inſtitutam ab Archidiacono Hiſpano, cum à remotis nulla fiat concludens illatio; & conſequenter dubia ſemper remanet identitas huius Portionis, & circa illam iusPatronatus Archidiaconi Cæſarauguſtani ambiguum, de quo clarê, & apertè ab illo Præſentatus docere debuerat. Secundum fundamentum eſt, quod & ſi clarê, & concludentêr conſtaret Portionem apprehenſam eſſe iuris Patronatus Archidiaconi Hiſpani la Barca, quod
mi-

minimê deprehenditur, nondum tamen apparet liberam esse à Regulis reservatorijs Cancellariæ; quia omnia Beneficia Ecclesiastica comprehenduntur sub Regula 8. hodie 9. Cancellariæ, nisi ex Privilegio, vel in limine Fundationis aliud in cōtrarium dispositum sit; sed id in Fundatione Portionis facta ab Hispano la Barca contingere exadverso suadetur ob præscriptum modum præsentandi, ibi: *Et post Obitum meum mortuo tamē Cappellano à me constituto infra quindecim dies post decessum ipsius Cappellani, licèat Archidiacono Cæsaraugustano instituere Cappellanum honestum, & præsentet illū Priori, & Capitulo memoratæ Eclesiæ; & si infra prædictos quindecim dies non instituerit, & præsentaverit Priori, & Capitulo memoratæ Eclesiæ, ex tunc instituo, quod Prior prædictæ Eclesiæ, & Archidiaconus Turolensis cum Cæsaraugustano Archidiacono instituant ipsum Cappellanum honestum, & eū præsentent Capitulo, & Eclesiæ sepè factæ, & sic fiat in perpetuum, vt Superius dictum est de quolibet Cappellano*; ex quibus verbis acritêr contenditur, hoc ius Patronatus perpetuum esse cum exclusione reservationis Regulæ 8. hodie 9. Cancellariæ, vtpotè comprehensivum propter Dictionem illā *in perpetuum* omnium temporum mensium, & casuum; verum hoc Argumentum tripliciter dissolvitur: Primo, quia verba illa, *& sic fiat in perpetuum* respiciunt tantum ordinem, & tempus Patronis nominatis ad præsentandum præfinitum, non autem comprehendunt omnes casus vacationis prædictæ Portionis; vt sensus sit, quod semper, ac debeat Archidiaconus præsentare, id faciat infra quindecim dies, quibus elapsis ius præsentandi spectet ad Priorem prædictæ Eclesiæ, & Archidiaconum Turolensem, & eumdem Archidiaconum Cæsaraugustanum; idque colligitur ex verbis sequentibus *vt Superius dictum est*, nam Dictio hęc, *vt Superius*, est relativa præcedentium, cum suis qualitatibus, non tamen repetit ea, quæ non sunt expressa, imô restringit dispositionem subsequentem ad limites dispositionis præcedentis; & huic interpretationi magnoperè favet, superior Partita desump-

ta

ta ex dicto Libro communiter Nigro nuncupato Eclesię Metropolitanæ, ex adverso producto, vbi supra posit ú tempus, & ordinem præsentādi signanter norimus animadversum, ibi: *In Cappellania Domni Hispani la Barca Archidiaconi Cæsaraugustani Electio Cappellani pertinet ad Archidiaconum Cæsaraugustanum infra quindecim dies à tempore vacationis, ex tunc pertinet ad Priorem, & Archidiaconum Turolensem, & Archidiaconum Cæsaraugustanum sine præfinitione temporis.* Neque aliter liberantur Beneficia Ecclesiastica à Reservationibus Apostolicis, quam si expressum id sit in Fundatione, alioquin non videtur Romanus Pontifex facere contra præscriptam voluntatem Instituentis, dū reservat sibi Collationes Beneficiorum, quæ sunt sub iure Patronatus Eclesiastici; cum nec censeatur derogatum Regulis Cancellariæ, per quamcumque generalem derogationem, quamtumbis prægnantem; quambis si in limine Fundationis simpliciter disponeretur: *Quod semper, sive omni tēpore, sive perpetuis futuris temporibus, quotiescumque, & quandocumque casus vacationis contingeret,* ius præsentandi spectaret ad Patronum, ea verba vt maximè vniversalia, & comprehensiva omnium vacationis casuum, continere exclusionem Reservationis Regulæ 8. Cancellariæ Sacris Rotalibus Decisionibus sepè comprobatum sit: Secundo, quia verba illa prægnantia, *& sic fiat in perpetuum de quolibet Cappellano*, posita in Institutione nequeunt in præsenti excludere Reservationem Sedis Apostolicæ, stante in cōtrarium Observantia subsecuta, & quidem longissimi temporis, nam ex instrumentis in hoc Processu exhibitis, & productis cōstat, quod ab Anno 1602. semper Romanus Pontifex provisit in omnibus casibus vacationis præsentem Portionem; & licêt huiusmodi Provisiones Apostolicæ non mutassent statum, tamen, ex quo non aperte docetur de statu contrario, aprimê sufragantur ad declarandum statum, & qualitatem Beneficij; & id locum etiam habet, quābis nonnullæ Provisiones, ex superioribus factæ sint per Resignationem; nā

&

& hic modus providendi à Sede Apostolica demonstrat prædictam Portionem subiectam esse Regulis Pontifitijs reservatorijs, præterquam quod vltimus status inspici, etiã debeat ad effectum, vt videatur, an cadat sub Reservatione: Tertio, quia lex posita in Fundatione circa perpetuitatem Patronatus, priusquam promulgata esset Regula 8. hodie 9. Cancellariæ, non intelligitur derogasse huic Regulæ postea editæ, cum eam in animo Fundator habere nõ potuerit, ante illius editionem; cumque Archidiaconus Hispanus la Barca legem illam perpetuitatis adiecerit Fundationi factæ Era 1290. & A.D. 1252. ac multos post Annos Regula Cancellariæ 8. hodie 9. edita, ac promulgata sit, manifestò convincitur, non potuisse Archidiaconum Hispanum in animo habere derogationẽ huius futuræ Regulæ Cancellariæ; ac proinde voluisse solum illius Patronatus perpetuitatem regularem, & communem, quæ amplissimã potestatem, & comprehensionem prędictę Regulæ 8. non excludit: Nec valet si dixeris, quod ex his omnibus saltem colligitur Reservationem reddi turbidam, & quod sufficit dari fumum validũ, aut iuris Patronatus, aut alterius Exceptionis, vt Reservatio excludatur; nam in hac re multiplex distinctio à DD. adhiberi solet, & quidem omisis alijs, ea nobis verior, ac Regulis Iuris acomodatior semper vissa est, scilicet, quod vel Reservatio per se est clara, & aperta, & excipiens cum iure Patronatus, aut aliter contendit illam reddere turbidam; vel è contra, exclusio Reservationis est expressa forsam ob Indultum Apostolicum, vel ob certam, & indubitatam legem Fundationis, & ex parte Provissi Apostolici solum replicaretur adversus vires derogationis Reservationum; nam in primo casu Regula stat pro Provisso Apostolico, & non est retardanda executio Gratiæ Apostolicæ, nisi excipiens clarè, & concludentêr probet exceptionem oppossitam; in secundo verò, quia exclusio Reservationis expressa est, Regula stat pro Præsentato à Patrono, vel Indultario; & nisi Provissus Apostolicus concludentèr probet,

bet, nullas vires habere exclusione Reservationis, Præsentatio Patroni, aut Indultarij sustinenda erit; quod casui nostro valdê acomodatur, nam huius Portionis, vt potè Beneficij Eclesiastici, Reservatio in se clara est, & aperta; dũ planè constat de Obitu vltimi, & immediati Possessoris in Mense Iulij reservato Romano Pontifici ex Regulis Cancelleriæ, cui exuberantèr iungitur Observantia subsecuta ab Anno 1602. providendi semper Portionem apprehensã à Sede Apostolica, & consequenter Regula stat in præsenti pro Doctore Arganza Provisso Apostolico; cumque ex supradictis aflatim convincatur ius Patronatus Archidiaconi Cæsaraugustani, & quoad identitatem, & quoad exclusionem Reservationis in se ipso turbidum esse, & abundè nõ probatum; necessario infertur validiorem esse Titulum D. Tiburtij Lopez de Arganza, ac proinde eius Propositionem Iurisfirmæ recipiendam esse, iuxta Iuris, & Fori Sãctiones, cæteris reiectis decernimus, & alias. Att. Cont. &c.

D. Ægidius Custodius Lissa, & de Guebara, Assessor ita pronuntiandum consului.